



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCXXIII. Prosecutio ejusdem Argumenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

bant ipsius actionem, quia non idem vitæ institutum sequebatur. Similis superbiæ te reum facis, si aliorum Sæcularium, aut Religiosorum Doctrinam, & actiones contempnas, minoris æstimes, æmuleris, vel impediās per invidiam: si verò unicè DEI Gloriam quæras, gaudebis & laudabis, quando etiam alij DEI Gloriam procurant.

MEDITATIO CCCXXIII.

Prosecutio ejusdem Argumenti.

PUNCTUM I. *Nemo est enim, qui faciat virtutem in Nomine meo, & possit citò malè loqui de me.* Marc. 9. v. 38. Hæc est prima ratio, quare Discipuli non prohibeant eijcientem dæmonia in Nomine Christi: quia de tali non præsumendum est, quòd Christi Gloriæ aliquando sit detracturus, vel non perseveraturus in Christi Prædicatione. Vis & tu signum aliquod habere Perseverantiæ in Divino Servitio? exerce te continuo in Virtutibus in Nomine Christi, sive ex sincera Intentione solius Gloriæ Christi. Et cum nemo repente fiat pessimus, & malè de DEO sentiat, loquatur, vel agat; invigila tibi, ne paulatim deficias; vel si defeceris, metu ulterioris defectionis ad Virtutum studium de novo te excita.

PUNCT. II. *Qui non est adversum vos, pro vobis est.* Marc. 9. v. 39. Altera hæc ratio est. Quia, qui, sicut vos, in Nomine meo dæmonia eijcit, & idem prædicat, ille pro vobis operatur, & vestram Intentionem Gloriæ meæ propagandæ promovet: ideo non tantum non prohibendus est, sed fovendus, & amandus. Accendit

Accende similiter in te Amorem erga alios Religio-
 sos, qui etiamsi non sequantur tuum institutum, ta-
 men eadem est illorum Intentio, idem Studium Cul-
 tûs & Gloriæ Divinæ. Imò hæc sit principalis ratio
 amandi omnes Servos DEI, quia eundem DEVM co-
 lunt. Hoc sit etiam tuum argumentum de omnibus
 bene sentiendi, ut, si non videas aliquem adversus
 DEVM agentem, illum pro DEO agere, & tibi in e-
 jusdem Cultu consentire præsumas.

PUNCT. III. *Quisquis enim potum dederit vobis, ca-
 licem aquæ in Nomine meo, quia Christi estis: Amen dico vo-
 bis, non perdet Mercedem suam.* Marc. 9. v. 40 Hæc ter-
 tia ratio, non prohibendi pellentem dæmonia in No-
 mine Christi desumpta est per argumentationem à
 minori ad majus: quia, si non prohibendus, sed præ-
 mio dignus est, qui vobis aut alteri homini præstat be-
 neficium corporale, quantumvis leve, in Nomine
 Christi; multò magis, qui præstat Beneficium Spiri-
 tuale, pellendo dæmonem inimicum Animæ, & ejus
 ejectione Salutem Animæ procurando. Hoc argu-
 mento inducaris, ut nullum Opus bonum, quamvis
 leve, negligas, utpote dignum Mercede æterna: ut-
 que observes modum, quo opus in se leve, reddatur
 dignum Cælesti Præmio, faciendo nimirum illud in
 Nomine Christi, & ex pura Intentione, non ut ipse
 nomen & æstimationem acquiras. Eodem argu-
 mento à minori ad majus utere ad Bene-
 ficia Spiritualia Proximo
 conferenda.

